

10. ULPIANUS, lib. 17, ad Sabinum.

Si habitatio legetur, an perinde sit, atque si usus, queritur? et effectum quidem idem pene esse legatum usus et habitations, et Papinianus consensit lib. 18 Questionum. Denique donare non poterit: sed eas personas recipiet, quas et usuarius. Ad heredem tamen nec ipsa transit¹²; nec, non utendo amittitur, nec capitis diminutione¹³. — § 1. Sed si *propter* sit relicta, an usus sit, videndum? et Papinianus lib. 7 Responsorum ait, usum esse, non etiam fructum relictum. — § 2. Sed [si] sic relictus sit, ille domus usufructus habitandi causa: utrum habitationem solum, an vero et usumfructum habeat, videndum? et Priscus, [et] Neratius putant, solum habitationem legatam: quod est verum. Plane, si dixisset testator, *Usum habitandi causa*, non dubitarem, quin valeret. — § 3. Utrum autem unius anni sit habitatio, an usque ad vitam, apud veteres quaesitum est. Et Rutilius, donec vivat, habitationem competere ait: quam sententiam et Celsus probat lib. 18 Digestorum. — § 4. Si usus fundi sit relictus, minus¹⁴ utique esse, quam fructum, longeque, nemo dubitat. Sed, quid in ea causa sit, videndum? Et Labeo ait, habitare eum in fundo posse, dominumque prohibitorum illo venire: sed colonum non¹⁵ prohibitorum, nec familiam, [scilicet eam,] quae agri colendi causa illic sit: ceterum, si urbanam familiam illo mittat, qua ratione ipse prohibetur, et familiam prohibendam ejusdem rationis est. Idem Labeo ait, et cella vinaria et olearia eum solum usurum: dominum vero invito eum non usurum.

11. GAIUS, lib. 2 Rerum cottidianarum, sive aureorum.

Inque¹⁶ eo fundo haecenus ei morari licet, ut neque domino fundi molestus sit, neque his, per quos opera rustica fiunt, impedimento [sit]: nec ulli alii jus, quod habet, aut vendere, aut locare¹⁷, aut gratis concedere potest.

12. ULPIANUS, lib. 17, ad Sabinum.

Plenum autem usum debet habere, si et villae et praetorii [ei] relictus est. Venire plane proprietarium ad fructus percipiendos, magis dicendum est: et, per tempora fructuum colligendorum etiam habitare illic posse, admittendum est. — § 1. Praeter habitationem, quam habet, cui usus datus est, deambulandi quoque et gestandi jus habebit. Sabinus et Cassius, et lignis ad usum cottidianum, et horto, et pomis, et oleribus, et floribus, et aqua usurum: non usque ad compendium, sed ad usum scilicet, non usque ad abusum. Idem Nerva: et adjicit, stramentis etiam usurum; sed neque foliis, neque oleo, neque frumento, neque fragibus usurum. Sed Sabinus et Cassius et Labeo et Proculus hoc amplius [etiam] ex his, quae in fundo nascuntur, quod ad victum sibi, suis sufficienti, sumpturum, et ex his, quae Nerva negavit. Jubentius, etiam cum convivis et hospitibus posse uti: quae sententia mihi vera videtur: aliquo enim largius cum usuario agendum est pro¹⁸ dignitate ejus, cui relictus est usus. Sed utetur is (ut puto) dumtaxat in villa. Pomis autem et oleribus et floribus et lignis, videndum, utrum eodem loco utatur dumtaxat, an etiam in oppidum ei deferri possint? sed melius est accipere, et in oppidum deferenda: neque enim grave onus est horum, si abundant in fundo. — § 2. Sed si¹⁹ *pecoris* ei usus relictus est, puta gregis ovilis, ad stercorandum usurum dumtaxat, Labeo ait: sed neque lana, neque agnis, neque lacte usurum: haec enim magis in fructu esse. Hoc amplius, etiam modico lacte usurum puto: neque enim tam stricte²⁰ interpretande sunt voluntates defunctorum. — § 3. Sed si *bovm armenti* usus relinquatur, omnem usum habebit, et ad arandum, et ad caetera, ad quae boves apti sunt. — § 4. *Equitum* quoque legato usu, videndum, ne et domare possit, et ad vehendum sub jugo uti? et si forte auriga fuit, cui usus equorum relictus est, non puto eum circensibus his usurum: quia quasi locare eos videtur: sed si testator sciens eum hujus esse instituti et vite, reliquit, videtur etiam de hoc usu sensisse. — § 5. Si usus *ministerii* alicui fuerit relictus, ad suum ministerium utetur, et [ad] liberorum conjugisque, neque videbitur alii concessisse, si simul cum ipsis utatur. Quamquam, si filiofamilias usus servi sit relictus, vel servo, patri, dominove adquisitus, ipsius dumtaxat usum exigit, non etiam eorum, qui sunt in potestate. — § 6. Operas²¹ autem servi usarii non locabit, neque alii utendo concedet: et ita Labeo: quemadmodum enim concedere alii operas poterit, cum ipse uti debeat? Idem tamen Labeo putat, si fundum conduxerit quis, usuarium servum posse ibi operari. Quid enim interest, in qua re opera ejus utatur? quare et si lanam conduxerit usuarius expediendam, poterit etiam per usuarias ancillas opus perfici.

12. L. 11, C. de usufr. — 13. L. 10, supr. de capite minuit. — 14. § 1, Inst. h. t. — 15. L. 15, in fin. infr. eod. — 16. d. § 1, in fin. Inst. h. t. — 17. L. 8, in pr. supr. eod. — 18. L. 52, § 2, supr. de judic. — 19. § 4, Inst. h. t. — 20. L. 12, infr. de reg. jur. — 21. § 3, Inst. h. t.; L. 14, in pr. infr. eod. — 22. L. 23, infr. de stipul. servor. — 23. L. 12, § ult. in pr. supr. h. t. immo vide L. 2, infr. de usu et usufr. legat. — 24. L. 16, in fin.; L. 20, infr. h. t. — 25. C. 17.

cere. Idemque, si vestimenta texenda redemerit, vel insulam vel navem fabricandam, poterit ad haec operis uti usuarii. Nec offendetur illa Sabinus sententia, ancillae usu dato, ad lanificium eam non mitti, nec ex operis mercedem capi; sed sibi lanam facere jure cogere: sibi enim *facere* videtur, cui non operas ejus locavit, sed opus, quod conduxit, expedit. Idem et Octavenus probat.

15. GAIUS, lib. 7, ad Edictum provinciale.

Sed ipsi servo ancillae pro opera mercedem imponi posse, Labeoni placet.

14. ULPIANUS, lib. 17, ad Sabinum.

Per²² servum usuarium si stipuler, vel per traditionem accipiam, an adquiram, queritur, si ex re mea, vel ex operis ejus? et, si quidem ex operis ejus, non valebit: quoniam nec locare operas ejus possumus²³: sed si ex re mea, dicimus servum usuarium stipulantem, vel per traditionem accipientem, mihi adquirere²⁴, cum hac opera ejus utar. — § 1. *Ususfructus*, an *fructus* legetur, nihil interest: nam fructui et usui inest: usui, fructus deest: et fructus quidem sine usu esse non²⁵ potest: usus sine fructu potest. Denique si tibi fructus, deducto usu, legatus sit: inutile esse legatum²⁶, Pomponius lib. 5 ad Sabinum scribit: et, si forte, usufructu legato, fructus adimatur, totum videri ademptum scribit. Sed, si fructus sine usu, videri constitutum, qui et ab initio constitui potest. Sed si, fructu legato, usus adimatur, Aristo scribit, nullam²⁷ esse ademptionem: quae sententia benignior est. — § 2. Usu legato, si eidem fructus legetur, Pomponius ait confundi eum cum usu. Idem ait et si tibi usus, mihi fructus, legetur, concurrere nos in usu, me solum fructum habiturum. — § 3. Poterit autem apud alium esse usus, apud alium fructus sine usu²⁸, apud alium proprietatis: veluti si, qui habet fundum, legaverit Titio usum, mox heres ejus tibi fructum legaverit, vel alio modo constituerit.

15. PAULUS, lib. 3, ad Sabinum.

Fundi usu legato, licebit usuario et ex penu, quod in annum dumtaxat sufficiat, capere: licet mediocris praedii eo modo fructus consumantur, quia et domo et servo ita uteretur, ut nihil alii fructuum nomine superesset. — § 1. Sicut is, cui usus fundi legatus est, quominus dominus agri colendi²⁹ causa ibi versetur prohibere non potest, alioquin et frui dominum prohibebit; ita nec heres quidem facere debet, quo minus is, cui usus legatus est, utatur, ut bonus paterfamilias uti debet.

16. POMPONIUS, lib. 5, ad Sabinum.

Si ita legatus esset usus fundi, ut *instructus*³⁰ esset: earum rerum, quae in instrumento [fundi] essent, perinde ad legatarium usus pertinet, ac si nominatim ei earum rerum usus legatus fuisset. — § 1. Dominus proprietatis, etiam invito usufructuario, vel usuario, fundum, vel aedes, per saltuarium³¹, vel insularium custodire potest: interest enim ejus, fines praedii tueri. Eaque omnia dicenda sunt, quolibet modo constitutus usufructus vel usus fuerit. — § 2. Servo, cuius usum dumtaxat, non etiam fructum, habemus, potest [et] a nobis quid donari³², vel etiam ex pecunia nostra negotiatum esse: ut, quidquid eo modo adquisierit, in peculio nostro sit.

17. AFRICANUS, lib. 3 Questionum.

Filiofamilias vel servo aedium usu legato, [et] utile legatum esse existimo, et eodem modo persecutionem ejus competituram, quo competeret, si fructus quoque legatus esset: itaque non minus absente, quam praesente filio, servove, pater, dominusve in his aedibus habitabit.

18. PAULUS, lib. 9, ad Plautium.

Si domus usus legatus sit sine fructu, communis refectio est [rei] in sartis tectis, tam heredis, quam usuarii. Videamus tamen, ne, si fructum heres accipiat, ipse reficere debeat: si vero talis sit res, cuius usus relegatus est, ut heres fructum percipere non possit, legatarius reficere cogendus est: quae distinctio rationem habet.

19. Idem, lib. 3, ad Vitellium.

Usus pars legari non potest: nam frui quidem pro parte possumus³³: uti pro parte non possumus.

20. MARCELLUS, lib. 13 Digestorum.

Servus, cuius mihi usus legatus est, acquirit mihi³⁴, si institor erit,

§ ult. infr. h. t.; L. 5, § 2, infr. usufr. quemadmodum caveat. — 26. Immo vide dd. LL. — 27. Add. L. 1, infr. de adimend. legat. — 28. L. 5, § 2, infr. usufr. quemadmodum caveat. — 29. L. 10, § ult. supr. h. t. — 30. L. 5, in fin. infr. de instruct. vel instrum. legat. — 31. L. 60, § fin. infr. de legat. 3. — 32. L. 37, § 1, infr. de adquir. rer. domin. — 33. L. 1, § 9, infr. ad leg. Falcid. L. 72, in pr. infr. de verb. oblig. — 34. L. 14, in pr. supr. h. t.

et operis ejus utar in taberna: nam mercibus vendendis emendisque adquiret mihi: sed et si jussu meo, per traditionem accipiet.

21. MODESTINUS, lib. 2 Regularum.

Usus aquae personalis est: et ideo ad heredem usuarii transmitti non potest.

22. POMPONIUS, lib. 5, ad Quintum Mucium.

Divus Hadrianus, cum quibusdam usus *silvae* legatus esset, statuit fructum quoque eis legatum videri: quia, nisi liceret legatariis caedere silvam, et vendere, quemadmodum usufructuariis licet, nihil habituri essent ex eo legato. — § 1. Licet tam angustus est legatarius, cui domus usus legatus est, ut non possit occupare totius domus usum, tamen eis, quae vacabant, proprietarius non utetur: quia licebit usuario, aliis et aliis temporibus, toto domo uti: cum interdum domini quoque aedium, prout temporis conditio exigit, quibusdam utantur, quibusdam non utantur. — § 2. Usu legato, si plus usus sit legatarius, quam oportet, officio iudicis, qui iudicat, quemadmodum utatur, [quid] continetur? ne aliter, quam debet, utatur.

23. PAULUS, lib. 1, ad Neratium.

Neratius: Usuarie rei speciem is, cuius proprietatis est, nullo modo commutare potest. [Paulus]: deteriorum enim causam usuarii facere non potest: facit autem deteriorem, etiam in meliorem statum commutata.

TIT. IX.

USUFRUCTUARIUS QUEMADMODUM CAVEAT.

1. ULPIANUS, lib. 97, ad Edictum.

Si, cuius rei usufructus legatus sit, aequissimum praetori visum est, de utroque¹ legatarium cavere: et usurum se² boni viri arbitratu: et, cum usufructus ad eum perire desinet, restituendum³ quod inde exstabit. — § 1. Haec stipulatio, sive mobilis res sit, sive soli, interponi debet. — § 2. Illud sciendum est, ad fideicommissa etiam aptari eam debere. Plane, et [si] ex mortis causa donatione usufructus constituitur, exemplo legatorum debet haec cautio praestari. Sed et si ex alia quacunque causa constitutus fuerit usufructus, idem dicendum est. — § 3. Cavere autem debet, *viri boni arbitratu perceptum iri usufructum*: hoc est, non deteriorem se causam usufructus facturum, caeteraque facturum, quae in re sua faceret. — § 4. Recte autem facient et heres, et legatarius, qualis res sit, cum frui incipit legatarius, si in testatum redegerit, ut inde possit apparere, an, et quatenus rem pejorem legatarius fecerit. — § 5. Utilius autem visum est, stipulatione de hoc caveri, ut, si quis non viri boni arbitratu utatur, committetur stipulatio statim: nec expectabimus, ut amittatur usufructus. — § 6. Habet autem stipulatio ista duas⁴ causas: unam, si aliter quis utatur, quam viri boni arbitratu: aliam de usufructu restituendo: quarum prior statim committitur, quam aliter fuerit usus, et saepius committetur: sequens committetur, finito usufructu. — § 7. Sed quod diximus, *id, quod inde exstabit, restituendum iri*, non ipsam rem stipulatur proprietarius: inutiliter enim rem suam stipulari videretur⁵: sed stipulatur restituendum iri, *quod inde exstabit*. Interdum autem ineri proprietatis aestimatio, si forte fructuarius, cum possit usucapionem interpellare, neglexit: omnem enim rei curam suscipit.

2. PAULUS, lib. 78, ad Edictum.

Nam fructuarius custodiam praestare debet.

3. ULPIANUS, lib. 79, ad Edictum.

Omnes autem casus continentur huic stipulationi, quibus usufructus amittitur. — § 1. *Desinere pertinere usufructum* accipiemus, etiam si nec ceperit⁶ pertinere, quamvis legatus sit: et committetur nihilominus stipulatio, quasi desinat pertinere, quod nec cepit. — § 2. Si usufructus repetitus⁷ erit legato, *quotiesque amissus fuerit*, nisi utiliter fuerit cautum, committetur ista stipulatio, sed exceptione opus erit. — § 3. Sed et si quis usufructum tibi legaverit, et sub conditione, *si liberus habueris*, proprietatem amisso usufructu, committetur quidem stipulatio, sed exceptio locum habebit. — § 4. Si heres alienaverit proprietatem, et postea amittatur usufructus, an ex stipulatu agere possit, videamus? Et fortius dici potest, ipso jure non committi stipulationem: quia neque

Tit. IX. — 1. § 6, infr. h. t. — 2. L. 13, in fin. pr. supr.; L. 4, C. de usufr. — 3. L. 8, § 4, vers. item de re. supr. qui satisd. cog. — 4. In pr. supr. h. t. — 5. L. 29, § 1; L. 82, in pr. infr. de verb. oblig. — 6. Fidei tamen L. 96, in pr. infr. de condit. et demonstr. — 7. L. 5, in pr. supr. quib. modis usufr. amitt. — 8. Arg. L. 88, § 17, infr. de verb. oblig. — 9. L. 27, supr. quib. mod. usufr. amitt. — 10. L. 58,

heredi, successoribusve ejus restitui potest: neque is, cui potest, (id est, ad quem pervenit proprietatis) pertinet ad stipulationem⁸. Sed is, ad quem pervenit, tempore quaesti domini sibi prospicere alia cautio debet, quod etsi non fecerit, nihilominus in rem actione uti potest.

4. VENTURIUS, lib. 12 Stipulationum.

Si fructuarius proprietatem adsecutus fuerit, desinit quidem usufructus ad eum pertinere, propter confusionem⁹: sed si ex stipulatu cum eo agitur, aut ipso jure inutiliter agi dicendum est, si viri boni arbitrium huc usque porrigitur; aut in factum excipere debet.

5. ULPIANUS, lib. 79, ad Edictum.

Huic stipulationi *dolum malum abesse*, abfuturumque esse continetur; et, cum in rem sit doli mali mentio concepta, omnium dolum comprehendere videtur successorum, et adoptivi¹⁰ patris. — § 1. Sed si usus sine fructu legatus erit, *adempta fructus causa, satisfari* jubet praetor. Hoc merito: ut de solo usu¹¹, non etiam de usufructu caveatur. — § 2. Ergo, et si fructus sine¹² usu obtigerit, stipulatio locum habebit. — § 3. Et si habitatio¹³, vel opere hominis, vel opere alterius animalis relicta fuerint, stipulatio locum habebit; licet per omnia haec usumfructum non imitantur.

6. PAULUS, lib. 78, ad Edictum.

Idem est et in *reditu* praedii: sicuti si vindemia legata esset, vel mes-sis: quamvis ex usufructu ea percipiantur, quae legata morte legatarii, ad heredem redeunt.

7. ULPIANUS, lib. 79, ad Edictum.

[Et] si usufructus nomine, re tradita, satisfatum non fuerit, Proculus ait, posse heredem rem vindicare: et, si objiciatur exceptio, de re usufructus nomine tradita, replicandum erit: quae sententia habet rationem: sed et ipsa stipulatio condici¹⁴ poterit. — § 1. Cum usufructus pecuniae legatus esset, exprimi debent hi duo casus in stipulatione: *cum morieris, aut capite minueris, dari*: idcirco hi duo¹⁵ soli casus, quoniam pecuniae usus aliter amitti non potest, quam his casibus.

8. PAULUS, lib. 78, ad Edictum.

Si tibi usufructus, et mihi proprietatis legata sit, mihi¹⁶ cavendum est: sed si mihi sub conditione [proprietatis] legata sit, quidam, et Marcianus, et heredi, et mihi cavendum esse putant: quae sententia vera est. Item si mihi legata sit, et, cum ad me pertinere desierit, alii, et hic utrisque cavendum, ut supra, placuit. Quod si duobus conjunctim usufructus legatus sit: [et] invicem¹⁷ sibi cavere debebunt, et heredi in casum illum, *si ad socium non pertineat usufructus, heredi reddi*.

9. ULPIANUS, lib. 84, ad Edictum.

Si usufructus mihi legatus sit, eumque restituere sim Titio rogatus videndum est, quis debeat cavere: utrum Titius, an ego, qui legatarius sum? an illud dicimus, mecum heredem acturum, cum fideicommissario me agere debere? et est expeditius, hoc dicere: si mihi spes aliqua durat usufructus, et, cum tu amiseris, potest ad me recidere, hoc est, ad legatarium, ita rem expediri, ut tu mihi, ego domino proprietatis caveam. Quod si fideicommissarii causa usufructus mihi relictus est, nec est ulla spes ad me revertendi fructus: recta via fideicommissarium cavere oportet domino proprietatis. — § 1. Illud sciendum est: sive jure ipso quis usumfructum habet, sive etiam per tuitionem¹⁸ praetoris, nihilominus cogendum esse fructuarius cavere, aut actiones suscipere. — § 2. Plane si *ex die proprietatis alicui legata sit, usufructus pure*, dicendum esse Pomponius ait, remittendam [esse] hanc cautionem fructuario; quia certum sit, ad eum proprietatem, vel ad heredem ejus perventuram. — § 3. Si *vestis usufructus* legatus sit, scripsit Pomponius, quamquam heres stipulatus sit, *finito usufructu, vestem reddi*, attamen non obligari promissorem, si eam sine dolo malo adritam reddiderit. — § 4. Si plures domini sint proprietatis, unusquisque pro¹⁹ sua parte stipulabitur.

10. PAULUS, lib. 40, ad Edictum.

Si servi, qui nobis communis erat, usumfructum tibi legavero, necessaria erit haec cautio heredi meo: quamvis enim de proprietate possit communi dividendo experiri, tamen causa usufructus, qui tuus proprius est, ad officium communi dividendo iudicis non pertinebit.

11. PAPINIANUS, lib. 7 Responsorum.

Usu quoque domus²⁰ relicto, viri²¹ boni arbitratu cautionem interponi oportet: nec mutat, si pater heredes filios simul habitare cum uxore legataria voluerit.

§ 15, infr. de verb. oblig. — 11. L. 5, in fin.; L. 10, supr. de usufr. ear. rer. — 12. L. 14, in fin. supr. de usu et habit. — 13. L. 11, infr. h. t. — 14. L. 5, § 1, supr. de usufr. ear. rer. — 15. L. 9, supr. d. t. — 16. L. 6, in pr. supr. d. t. — 17. d. L. 6, in fin. — 18. L. 1, in pr. supr. quib. mod. usufr. amitt. — 19. L. 13, in fin. pr. supr. de usufr. — 20. L. 5, § 3, supr. h. t. — 21. L. 1, in pr. et § 6, supr. eod.